

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua  
etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani  
nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium  
Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Titulus I. De Officio Duplici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](#)

## TITULUS I.

## DE OFFICIO DVPLICI.

I. Officium fit Duplex in diebus à Feria quinta in Cœna Domini usque ad Feriam tertiam Paschæ inclusivè, in Dominica in Albis. *g.* in Ascensione Domini, in Dominica Pentecostes, & duabus diebus sequentibus, in Festo Trinitatis, Corporis Christi, Dedicationis propriæ Ecclesiæ; in Festis, quibus in Kalendario apponitur hæc vox *Duplex*; in die Octava Festi habentis Octavam; in Festo Patroni. *h.* unius vel plurium alicujus loci, vel Titularis. *i.* Ecclesiæ: & in Festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes consueverunt solemniter celebrari, cum Officijs proprijs à Sede Apostolica approbatis, aut ex ejusdem Sedis authoritate receptis, vel recipiendis (servatâ tamen formâ hujus Breviarij) alioquin de Cominuni. *k.* etiamsi prædicta Festa in hoc Kalendario non sint descripta. *l.* Præterea Officium fit Duplex pro Defunctis in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, & in die obitus, seu depositione Defuncti *m.* ut in eodem Officio dicitur circa finem Breviarij.

*G.* Sic dictâ, quia olim Catechumeni hoc die baptizati vestibus albis induebantur.

*H.* Vocatur propriè Patronus, (quem aliqui perperam cum Titulari confundunt) quem Episcopus cum Populo sibi Patronum elegit, de quo vide p. i. tit. 6. hujus Instructionis.

*I.* Titularis Ecclesiæ dicitur, sub cuius invocatione Ecclesia consecrata est.

*K.* Commune Sanctorum intellige, seu eam partem Breviarij, in qua Officia pluribus Sanctis communia in deftum proprij Officij designantur.

*L. Qui-*

L. Quibus addit Gavantus s. 3. c. 3. n. 10. Sanctos, quibus insignis Reliquia (puta caput, brachium, crux, ea pars corporis, in qua passus est Martyr, modò integræ non parva sit, ut decidit S. Congregatio) habetur. In Translatio Patroni Principalis juxta Arnaudum tr. 2. p. 1. t. iii.

M. Gavantus s. 9. c. 2. n. 12. etiam diem tertium, septimum, trigesimum & Anniversarium addit, cum in his Iatorium, quod non nisi in solemnni Officio pro Defunctis consuevit, recitari velit; & Rubricæ Missalis Missam in diebus perinde, ut in die depositionis, exceptis Orationib[us] dici præcipiant.

II. Festum Duplex celebratur eo die, quod accedit, nisi illud contingat transferri, ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum.

III. Habet primas & secundas Vespertas interclusas. n. nisi cum alio simili concurrat, o. ut accidit in Rubrica de concurrentia Officij; & totum Officium fit de Duplici, incipiendo à primis Vesperris usque ad Completorium sequentis diei inclusivè, nisi aliter in proprijs locis assignetur. Officium autem Defunctorum habet tantum primas Vespertas, Matutinum & Laudes, ut circa finem Breviarij ponitur.

N. Intellige de Sanctorum Festis, nam triduum ultimum Sacrae Hebdomadæ, licet sub duplice ritu celebretur, non men habet primas Vespertas, cum omnis Feria Major in Matutino incipiat Officium.

O. Puta si Duplex per annum cum alio Duplici permanent in Vesperris concurrat, tunc enim dividunt Vesperras, ut de antecedente Psalmi, de subseguente reliqua Vesperiæ partes à Capitulo dicantur. Quod si vero cum dissimili id est, primæ vel secundæ Classis Duplici concurrat, tunc vel omnino amittit jus ad Vesperras, vel solam commutationem habet.

P. Uti fit in Festis infra Octavam Nativitatis Christi concurrentibus, quorum nullum habet integras Vespertas.

**IV.** In utrisque Vesperis, Matutino & Laudibus cantum, non autem in alijs Horis duplicantur Antiphonæ, q. id est, integræ dicuntur in principio & fine Psalmorum. r.

**Q.** Quod adeò proprium est Duplicibus, ut omnibus omnino & solis conveniat, atque adeò meritò illa denominationem ab hac duplicatione accipient.

**R.** Nisi omnino omitti debeant, ut fit tempore Paschali, dum in singulis Nocturnis secunda & tertia Antiphona omit-titur.

**V.** Ad Matutinum regulariter s. dicuntur tres Nocturni cum novem Psalmis, & totidem Lectionibus, t. hoc est, in unoquoque Nocturno tres Psalmi, & tres Lectiones, præterquam in Paschate Resurrectionis & Pentecostes cum duobus sequenti-bus diebus, in quibus dicitur unum tantum Nocturnum, cum tribus Psalmis, & totidem Lectionibus, ut ibidem ponitur.

**s.** Propter binas Octavas Paschatis & Pentecostes mox infra exceptas; alia enim omnia Duplicia tres Nocturnos, & novem Psalmos ac Lectiones habent.

**T.** Ab his quippe Festa novem Lectionum dominantur.

**VI.** Preces u. ad Primam & Completorium x. & Suffragia de S. MARIA, Apostolis, & Pace. z. ad Vespertas & Laudes non dicuntur in Officio Dupli-ci. a. ut etiam in proprijs eorum Rubricis dicitur.

**v.** Per preces has intellige Versiculos quosdam cum Re-sponsoriis suis in Prima & Completorio annotatos.

**x.** Multò minus Preces in Laudibus & Vesperis, & reli-quis minoribus Horis dici solitæ dicentur, ut quæ solis Fe-riis Majoribus & Vigiliis propriæ sunt.

**Z.** Atque adeò nec commemoratione de Cruce tempore Paschali, quæ tunc loco Suffragiorum dicitur.

**A.** Quod tamen privilegium non solis Duplicibus, sed etiam Semiduplicibus quibusdam, videlicet diebus infra Octavam; imò Suffragiorū carentia etiam Simplicibus qui-

• Instruct. II.

Q

bus.

busdam, nempe Feriis Adventūs & Majoris Hebdomadā  
convenit.

VII. Quomodo sit ordinandum Officium Di-  
plex in Vesperis, Matutino, & ceteris Horis; sim-  
liter & de Antiphonis, Responsoriis, Versibus, Ca-  
pitulis, & aliis in eo dicendis, habentur inferius  
singulis propriæ Rubricæ.

## TITULUS II.

### DE OFFICIO SEMIDUPLICI.

I. Officium sit Semiduplex diebus Dominicis  
(exceptâ Dominicâ in Albis, b. in qua  
Duplex c. ) & diebus infra Octavam d. Item i  
Festis, quibus in Kalendario hæc vox Semiduplex ap-  
ponitur. e. in Festis propriis quorundam loco  
rum. f. quæ solemnius apud illas, quam Simplicia,  
consueverunt celebrari.

b. Non, quòd dies Octava sit Paschatis, cum ritum  
diebus Octavæ Paschatis penitus diversum habeat; sed quæ  
fortè illo die solemnis Baptismus celebrabatur.

c. Quibus addè etiam Dominicam Paschatis, Pentecostes, & Trinitatis, quamvis hæc Festa potius, quam Dominicae dicenda sint.

d. Vocantur Dies infra Octavam sex illi dies, qui inter  
Festum & ipsam diem Octavam intercedunt.

e. Nisi propter formalitatem Patroni aut Titularis, si  
propter insignem Reliquiam inter Duplia numerentur.

f. Qualia v. g. sunt Translatio Patroni minus principali:  
Festum Sancti, cuius Reliquia non insignis habetur, si  
S. Congregatione ejusmodi Festum concedatur.

II. In Festo Semiduplici sit eo die, quo caduc  
nisi contingat transferri, ut dicitur in Rubrica  
Translatione Festorum.

III. Habet totum Officium integrum. g. sic  
Duplex; sed non duplicantur Antiphonæ.

G. Ho.